Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2079
Quelle:
Copyright:

ſcarſelle) aliarumque rerum, quae in antiquis *Ritualibus* reperiuntur, in dicto tamen *Pontificali* omiſſae ſunt. Pars *Tertia* a *fol.* 254. inchoat ab *Ordine ferie IIII. in capite ieiuniorum.* Sequitur *Ordo in V. feria cene dimini, Ordo feria ſexta in paraſceue, in ſabbato ſancto, Ordo ad benedicendum menſam*, quae tria poſteriora in mox memorato *Pontificali* deſunt, *Ordo ad concilium ſeu ſynodum celebrandum*, ſine Forma tamen Juramenti, *Ordo ſuſpenſionis* &c. tamen abſque Degradationis Forma. *Fol.* 297. p. 2. *Ordo contra auram leuatam*, id eſt, contra tempeſtates. Reliqua hujus Partis etiam in *Pontificali* moderno v. g. *Venet.* 1758. 8. edito habentur. At vero a *fol.* 307. nobis habetur Ritus Miſſae ab Epiſcopo dicendae vel audiendae, Inſtructio de *Laudibus* ſeu Rogationibus, de Gloria, Credo, Benedictione Epiſcopali, Ite Miſſa eſt, de Coloribus in officio divino, de uſu baculi paſtoralis, Sandaliorum, Mitrae *aurifriſiatae* et ſimplicis, et *Pallei* Metropolit. Succedunt *Benedictiones pontificales*, inter quas una *In translacione ſancte corone domini*, nempe *Venetiis Pariſios* a. 1239. Earum Index, *Ordo ad viſitandum infirmum*, et *Ordo ſepeliendi clericos romane fraternitatis*, in cujus rubricis inter alia habetur: *De mandato rectoris pater ſpiritualis veniat in medium. et reddat teſtimonium pro defuncto. ſi fuerit vnctus. ſi confeſſus et de vita ſua teſtimonium rector querit a cuncto clero* &c. Atque iſtud praeſente corpore ante ſepulturam.

DCCCXLV.

Codex membraneus lat. quem U. 732
facile quis vetuſtiorem crederet, Sec. XVI. Folior. 241. fol. max. charactere grandi pulcre perſcriptus et coloribus amoenus, quondamque *Johannis Fabri* Praeſulis noſtri *Pontificale* eſt, ſequentia complexum: *Benedictiones Veſtimentorum ſacerdotalium, Ordinem de confirmandis pueris, Clericorum ordinationem* per omnes gradus, *Impoſitionem primarij lapidis pro eccleſia edificanda, Ordinem ad benedicendam eccleſiam*, et *Conſecrationem Altaris*, item *ad reconciliationem violate Eccleſie, Ordinem in Cena domini* videlicet reconciliationis Poenitentium, demum *Benedictiones pontificales ſuper populum Maiorum feſtiuitatum.* In ordinatione Clericorum *fol.* 21. p. 2. Epiſcopus Ordinandos ita adfatur: *Nos Georgius dei et apoſtolice ſedis gratia Epiſcopus Viennenſis* &c. Vides igitur ſcriptorem Codicis antiquius aevum mentiri, quod non ſemel accidit; nam *Georgius* hic *Labacenſis de Zlatkonia*, quod lingua Carniolorum *Equum aureum* ſonat, unde a quibusdam etiam *Chryſippus* dictus eſt, infulas *Viennenſes* ab a. primum 1513. ad a. 1522. geſſit. Plura de laudabili hoc Viro retuli in *Memorab. Bibl. Garell.* p. 258. et pluribus *Hiſt. Typogr. Viennenſ.* locis. *Fol.* 64. p. 2. ju-

ben-